



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

III. Vniuersae causae suffraganeorum Cantuariensis quamuis non iure metropolitico, legationiis tamen obtentu ad eum transferri possunt, licet ad eum non sit appellatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

liceat eidem Eboracensi secundum communem consuetudinem, & Honorii patris nostri sanctionem, vel domini nostri Paschalis mandatum a suffraganeis auctoritate Romani pontificis consecrari.

C A P. III.

Idem vniuersis ecclesie Cantuariensis suffraganeis.

Cum non ignoretis, venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem archiepiscopum vobis non solum metropolitico, sed etiam iure legationis præesse, mirabile satis est, quod quidam vestrum (sicut audiuius) asseuerare præsumpserunt, quod idem archiepiscopus nullam causam de episcopatibus vestris, siue legationis, siue metropoleos iure, audire debeat, nisi per appellationem ad ipsum deferatur. Sane licet metropolitico iure forte non debeat causam de vestris episcopatibus, nisi ad eum per appellationem deferatur, audire, legationis tamen obtentu vniuersas causas, quæ de ipsis episcopatibus per appellationem vel per aliquam querimoniam perueniunt ad audientiam suam, audire potest & debet, sicut qui in prouincia tua vices nostras gerere probatur. Mandamus itaque venerabilitati vestræ atque præcipimus, quatenus causas quæ de episcopatibus vestris ad eundem archiepiscopum referuntur, eius iudicio relinquatis: nec quemlibet clericum vel laicum vestræ iurisdictionis deterrere vel impedire tentetis, quo minus causas suas ad præfatum archiepiscopum, si voluerit, transferre possit.

9. q. 3. Con-
quellus.
Dist. 65.
Quoniam
nos. 25. q. 1.
Seruatis. 11.
q. 1. Perue-
nit.

* vestra

C A P. IV. *Idem nobilissimo duci Venetiæ.*

Cum essemus Venetiæ, & ibi diutinam moram fecissemus, proposuisti nobis constanter atque solícite, sæpe contingere, quod cum inter clericum & laicum tuæ iurisdictionis de pecuniaria causa controuersia vertitur, clericus ad nostram appellat audientiam: & personis extra terram tuam existentibus, iurisdictionis causam impetrant quandoque committi, qui super huiusmodi causis iudicare nolunt, aut nesciunt legem aut consuetudinem Veneticorum. Vnde quia occasione ista tam frequenter a laicis clerici indebite fatigantur, & damna grauiâ sibi prouenire proclamant; nos fauore tuæ deuotionis inducti, & tuis